



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Pro injuriis Cordi Jesu inflictis voluntaria expiatio ad Cor Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

Invocatio ad Cor JESU.

O Cor Jesu, cordium omnium dominator legitime, imo & unice! Tu, corda nostra tuæ illi tam justæ dominationi penitus subijce, ac jure tuo tota posside. Ingrata etiam atque rebellia clementer & potenter tibi servire compelle. Imperium illud tuum sanctissimum, æquissimum, suavissimum in ea constanter exerce. Fac ut in rebus omnibus voluntati tuæ subiecta, a te nusquam ac nullatenus discrepent. Obsecro etiam te, O Cor sanctissimum, cordium omnium exemplar perfectissimum, ut corda nostra tibi similia, humilitate, mansuetudine, patientia, charitate, reddere digneris. Tu terrestres quibus premuntur cupiditates, cœlestibus tuis affectionibus reprime, expelle, restingue: nutantia confirma: egentia dita: ad res infimas prona erige: inclinata subleva: dura emolli: immunda purifica: frigida, igne illo quo ardes inflamma: imperfecta eorum benigne perfice: demum talia redde, ut te amare, te colere, te imitari valeant, & in æternum te possideant. Amen.

*Pro injuriis Cordi JESU inflictis voluntaria expiatio
ad Cor JESU.*

O Cor Jesu, amore hominum ardentissimum, simulque obspretum amorem tuum afflictissimum! Nihil a te olim dum in terris ageres prætermisum est, viribus etiam exhaustis penitus atque consumtis, quo

hunc tuum immensum amorem certissimis ac stupendis signis testatum relinqueres: neque tamen tibi, tunc temporis quidquam ab ingratis hominibus præter injurias, repensum est. Tu, eodem in nos amore etiamnum in Eucharistia flagras: non ignotum ut olim, sed plane cognitum, nobisque vicinum ac proximum, nec propterea humanius in hoc mysterio a multis amori tuo respondetur. Quæ tuæ ergo cogitationes esse debent, qui sensus, quum hos homines a quibus omnia reverentiæ & amoris argumenta expectare jure tuo debebas; in tantum se tibi reverentes ac gratos non exhibere cernis, ut etiam injuriis contumeliisque te in hoc amoris sacramento quotidie laceffant? His ego injuriis & contumeliis vehementer commotus, tibi amantissimo & afflictissimo Cordi supplex accido, veniamque summissime precor. Ingrati animi vitium quo memetipsum reum agnosco, injuriasque amori tuo a memetipso inflictas, detestor & abominor. Aliorum quoque hominum peccata ac sacrilegia in te commissa odi, & execror. Violatum honorem tuum hac mea summissione ac voluntaria expiatione quoad licet relarcire cupio. Utinam & lacrymis & sanguine, omnia in te perpetrata eluere & abolere penitus possem! Utinam novo quodam & inusitato honoris ac summissionis genere, tot irreverentias, convicia, sacrilegia compensare liceret! O quam præclare mecum agi putarem, si tam justa de causa vitam profundere possem! Veniam igitur, O Cor Jesu dulcissimum mihi propitius indulge, propositumque animo conceptum
gra-

gratia tua confirma : fixum namque mihi ratumque est, viribus omnibus eniti, ut nulla ex parte honori tibi debito in posterum defim : firmum est irreverentias pristinas, summa reverentia : negligentiam, diligentia : oblivionem tui, frequenti memoria compensare. Denique nihil omittere, quod ad amorem meum gratumque animum testificandum, abolendaque priora peccata conducere arbitror. Hoc statuo, hoc firmissime decerno, gratiaque tua adjutus me effecturum confido. Amen.

Oblatio sui suarumque rerum ad Cor JESU.

P. Claud. la Colombiere de quo supra, hujus exercitii author est, in quo nihil immutandum censuimus. Porro oblationis causas in hunc modum Vir Dei præmittit.

Fieri debet hæc oblatio ad honorem Cordis Jesu, quod virtutum omnium sedes est, & gratiarum divinarum fons, animarumque Sanctarum perfugium. Virtutes autem ob quas Cor illud sacrosanctum coli debet, hæ sunt præcipuæ. Amor in Patrem ardentissimus, cum summa veneratione ac summissione conjunctus. Patientia in malis tolerandis infinita. Dolor de peccatis immensus; pro quibus videlicet justitiæ divinæ satisfacere onus ultro in se suscepit. Fiducia dilectissimi Filii propria, pudori ac verecundiæ maximi peccatoris consociata. Commiseratio erga homines terrissima, & miseris nostris nonobstantibus, charitas in nos & amor ardentissimus. Denique in mediis hisce
affe-